

GEORGIVS FABRICIVS POETA.



**G**eorgius, patria Chemnicensis, natus est honestis parentibus in festo S. Georgij, qui erat 24 Aprilis, anno 1516. Is cum felici ingenio esset preditus, à pueris operam literis dedit, & in patria artium & linguarum fundamenta feliciter iecit. Inde se ad Lypsensem Academiam contulit, & magna diligentia Philosophiæ, & in primis arti Poëcæ incubuit. In ijs quoq; adeò profecit, ut postea inter doctos magnū sibi nomen compararit. Cum hoc modo egregiè perrexisset, Italiam inuisere statuit, atq; Romam ueniens uetus monumenta inspexit. Quoniam etiam uiri doctissimi passim in Latinis Academijs bonas literas profiteretur, ipsos audiuit, & eruditionem suam plurimum auxit. In patriam reuersus, tandem celebrem Argentinensium scholam accessit, & præceptore Ioanne Sturmio usus, eloquentiæ studium percurrit.